DE SITU VISCERUM INVERSO.

DISSERTATIO ANATOMICO - PATHOLOGICA,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
FRIDER. GUILELMUS WETTE,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

M. BOBERTAG, MED. ET CHIRURG. DR.,
J. BRUBERGER, MED. ET CHIRURG. DD.,
SEEMANN, MED. ET CHIRURG. DD.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

HUMANISSIMO, DOCTISSIMO,

BOEMCKE,

ORATORI IN SACRIS APUD TREMONIENSES,

NEC NON

FRATRI

OPTIMO, MAXIME DE SE MERITO,

FRANCISCO WETTE,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quamquam, quod proferre mihi propositum est, inter nova atque inaudita habendum non sit, quum plura jam ejusmodi exempla literis tradita sint, tamen, quoniam ei mirabile aliquid insit, dignum mihi visum est, cujus mentio fiat, et persuasum habeo, neminem naturae curiositatum amicum non libenter auditurum, aliud exemplum exstare aberrationis (sit venia verbo) naturae a situ normali, quam denominare auctores solent situm inversum. Sicuti mos est, verbo usus sum „dissertatione" de situ inverso. Ne autem quispiam, cui haec inscriptio late patens in conspectum veniat, hasce pagellas frustra evolvat, admoneam necesse est, nihil in iis contineri,

nisi situs viscerum thoracis et abdominis, quem observavi, quam brevissimam descriptionem, cui observationes similes nonnullas, cum designatione librorum et locorum, in quibus eas inveni, adjiciam.

Priusquam autem propositum illud exsequar, liceat mihi succincte disserere de re, quae, ut mea fert opinio, medico majoris momenti est, quam ut silentio praeteriri possit. Constitui nempe primum breviter exponere causas, quae in curandis hominibus necessitatem adducunt, ad anomaliam pluries supra dictam, respectum habendi, tum de vi morborum cordis in animum nonnulla verba facere.

Quamvis in confessu sit, rarissime naturae ludum, qualem describere mihi in animo est, occurrere, quandoque tamen fit, et hanc ob causam est medici prudentis, caute semper videre in casibus dubiis, utrum adsit ille nec ne.

Quodsi igitur in homine, cujus viscera, respirationi et nutritioni inservientia, situm, quem vocant mutatum sive inversum habent, vel hoc vel aliud organon impar, morbo qualicunque affi-

ciatur, necesse erit, ut signa etiam, si respiciamus ad locum, sueto omnino contraria sint. Fac exempli gratia, hepar inflammatione correptum esse, tunc symptomata topica, ut ita dicam, in hypochondrio dextro in conspectum venient, contra si organon illud in sinistro latere abdominis collocatum est, nec non signa morbi in eadem regione sese ostendant oportet.

Medicus, aegrotum ejusmodi curans, facillime errare potest, nisi curiose illum perscrutatur, maxime cordis pulsationem respiciens, quippe quae eum certiorem faciet de vera signorum ancipitum causa. Eundem scrupulum etiam inflammatio cordis, ventriculi, et quaevis alia organorum imparium inducere potest.

Alia, nescio an gravior causa, quae medentis et cautionem et providentiam exposcit, haec mihi visa est.

Experientia enim edocuit, cordis morbos in universum, tam structurae, quam situs, magnam vim in animum exercere, et semper fere e corde laborantes iracundiae et crudelitati esse obnoxios.

Perpulchre hanc rem Illustr. *Nasse* [1]) tractavit. Commemoravit in tractatu citato, morbos cordis cum animi motibus anomalis diversis conjunctos saepius sese ostendere, ut cum angore vexante, moestitia, vesania, appetitu homicidii, perficiendorum facinorum horrendorum, et aliis.

Homines vitiis cordis affectos pronos esse ad iracundiam, observavit *Sandifort* [2]), *Obet* [3]) et *Farre* [4]). *Corvisart* [5]) symptomatibus aneurysmatis cordis propensionem ad iracundiam adnumerat. *Bartoletti* [6]) „sibi," ait, „ac aliis de facili irascuntur." *Kreysig* [7]) in signa morbo-

---

1) Archiv für medizinische Erfahrung, herausgegeben von den ordentlichen Lehrern der Heilkunde, Dr. Horn in Berlin, Dr. Nasse in Halle, und Dr. Henke in Erlangen. Jahrgang 1817, Juli, August, S. 161. IV. Abhandlung.

2) Observationes anatomico-pathologic. P. I. p. 17.

3) Harles Annalen, Band I. St. I. S. 188.

4) Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte. Bd. 25. S. 454.

5) Essai sur les maladies du coeur, sec. édit. p. 124.

6) Methodus in dyspnoeam; L. IV. opistographus.

7) Die Krankheiten des Herzens, Bd. 1. S. 334.

rum cordis in universum studium iracundiae refert.

Haud raro cordis status morbosi melancholia et mania stipari dicuntur. Adnotavit ejusmodi observationes Illustr. *Nasse* in scripto supra laudato. Eodem loco etiam exempla literis mandata sunt, quae confirmant, saepissime in cadaveribus supplicio adfectorum, graviumque corporis poenarum condemnatorum, vitia cordis non levia esse inventa. Latrones secundum Illustr. *Hallerum* [1]) fuerunt, quorum cadavera *Mentelius* et *Meryus* dissecuerunt, uterque enim cor vidit inversum. Sed haec quidem hactenus. Jam ad rem ipsam, quam tractare pollicitus sum, situm scilicet inversum, transeundum est.

---

1) Elementa physiologiae; Vol. I. p. 304 et de part. corpor. humani fabrica. Vol. II. p. 89.

DE SITU INVERSO IN GENERE.

Situs inversus viscerum omnium, quae cavum et thoracis et abdominis continet, semper vitiis primae formationis adnumerandus est, atque eo consistit, quod hic integrum organon, illic organi alicujus singulae partes, quae *Winslowii* lineae latus occupare solent dextrum, locum tenent suum in latere sinistro, et vice versa, simulque secundum typum formata se offerunt, solito omnino contrarium. Illustrissimus *Hallerus* *) de illo viscerum situ vitioso verba haec refert:

„Rarior est, et aliquam curiositatem meretur „cordis inversus situs, ut mucrone suo in dextram „pectoris caveam producatur, basis in sinistra sede „sit, atque una omnia vasa et abdominis viscera, a „dextris ad sinistra transferantur. Aliquot exempla

*) De corporis humani fabrica. Lib. IV. Sect. II. §. 4. pag. 88.

„hujus monstrificae et congenitae fabricae reperi, „quae nihil de corporis integritate detrahit, et in „validissimis hominibus reperta est."

SITUS INVERSUS A ME OBSERVATUS.

Anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto occasio mihi fuit observandi pueruli, dies octo nati ante consuetum graviditatis finem, e primipara, cui nomen erat *Klingemann*.

Mater, mox post partum absolutum febri puerperali correpta, debitum nutrimentum, caeteraque, quae ad vitam lactentis sustentandam conferunt, porrigere haud valuit infanti, qui diebus octo tantummodo praeterlapsis obiit.

Cum medici inferioris gradus munere in nosocomio caritatis tum temporis fungerer, meum fuit, cadavera coram medico superiori Cel. Doctore *Huegel* dissecare. Quod quidem negotium ansam mihi praebuit, pueruli quoque cadaveris disquirendi, de quo scripturus sum.

Integumentis et thoracis et abdominis corporis, quod bene constitutum et nutritum fuit, remotis, summum me arripuit gaudium, et non potui, quin exclamarem, ecce doctissime miraculum! in conspectum nimirum venit situs, qui dicitur inversus. Quem imperitum haud obstupefaciet tale inopina-

tum, quale obvium fuit mihi? Nonne admirabilis est visu, cordis mucro dextrum latus petens, ejusque basis versus sinistrum collocata?

Cui cordis a normali, quod attinet ad latus, omnino abhorrenti situi omnia respondebant et thoracis et abdominis viscera, tam quoad situm, quam | si respiciamus propriam cujusvis visceris structuram, ita quidem, ut unusquisque, quem non fugit suetus organorum situs, facillime de hoc monstroso imaginem sibi facere possit. Sufficiet igitur, paucis tantummodo singulorum viscerum situm adumbrare. Quod antequam incipiam, admonendum mihi videtur, cujusvis visceris rationem ad partes cavitatum prorsus eandem fuisse, ac in situ normali. — Situs cordis accuratius, quam is caeterorum organorum in hisce pagellis descriptus, fortasse hoc confirmare poterit. —

DE VISCERUM THORACIS SITU.

Cor mucrone suo ad locum spectare video, quo costa quinta et sexta lateris dextri suis conjunguntur cartilaginibus; margo ejus posterior ad corpus vergit vertebrae dorsalis quintae.

Ventriculus pulmonalis, ob normalem ejus positionem dexter nominatus, hic sinistri nomen me-

retur, aorticus contra eadem de causa dexter appellari debet.

Huicce autem locorum mutationi reliquarum etiam situs partium ex toto convenit.

Aorta nempe dextrorsum petit, et in columnae vertebralis facie dextra decurrit. Prodeunt ex arcu aortae truncus anonymus, et sinistro quidem latere, qui in arteriam carotidem sinistram et subclaviam ejusdem lateris divisus in oculós incurrit; juxta illum, versus dextram, carotis et subclavia dextra exoriuntur. Arteria pulmonalis directionem tenet versus latus dextrum, et longiorem, dextroque ampliorem ramum sinistro pulmoni porrigit.

Vena jugularis communis dextra, a latere dextro ad sinistrum, vena autem jugularis communis sinistra, via recta descendit in venam cavam superiorem, ad perpendiculum inter facientem ad atrium cordis sinistrum.

Pulmo dexter una, sinister duabus incisuris interlobularibus gaudet.

Inter venam jugularem et arcum aortae truncus nervi vagi dextri, is vero lateris sinistri, venam subclaviam inter, et eum locum, quo angulum conformant carotis et subclavia, thoracis cavitatem ingrediuntur.

DE SITU VICSERUM ABDOMINIS.

Hepar hypochondrium occupat sinistrum. Structura ejusdem et cohaesio cum partibus adjacentibus sese offerunt non aliter, ac in hepate suetum tenente locum.

Lien in regione hypochondriaca dextra jacet.

Ventriculi situs ei organorum supra commemoratorum plane respondet, ita enim positus est in hypochondrio dextro, ut cardia lienis faciei internae adjuncta sit, pylorus sinistrorsum spèctet.

Pancreatis caput ex positione extremitas sinistra, illius vero cauda dextra recte appellatur.

Tubus intestinalis omnino eundem, scilicet caeteris in vicinia organis inversis adaequatum servat positum, eo nempe modo, ut intestinum coecum locum teneat in regione iliaca sinistra ante musculum iliacum sinistrum, intestinum contra rectum, in latere dextro faciei internae ossis sacri et coccygis descendat.

Sed sufficiant haec a me prolata, ex quibus situs monstrosus eluceat.

In prooemio commemoravi plura jam exempla situs inversi literis esse mandata, nec non profes-

sus

sus sum nonnulla eorum tradere; reliquum igitur est, ut promissa solvam.

Bartholinus [1]) hanc observationem enarrat:

„Inter dissectiones 1650 Parisiis habitas insignis „fuit una cujusdam ex reis, qui rhedam Serenissimi „Principis, ducis de *Beaufort*, nocturnis horis, furi„bus aliis stipatus, aggressus fuerat, et nobilem „quendam in ea sedentem sclopeto necaverat. Il„lius sicarii cadaver fractis membris rotae imposi„tum, ad expiationem tanti criminis, concessum fuit „a praefecto capitalium Medicinae Doctori et pri„vato Chirurgiae Professori, Mag. *Petro Reguier*, ut „in eo chirurgicas operationes suis auditoribus de„monstraret: in quo res adeo mira comperta est, „ut sua novitate urbem populosissimam in admi„rationem rapuerit. Nam positum mutaverant je„cur et lien, ut hic in dextro, illud in sinistro hy„pochondrio locum haberent, ut et singula vasa „ipsorum viscerum substantiam concomitantia, tam „in abdomine quam thorace; ipsa quoque cordis „cuspide ad dextram thoracis partem vergente, con„tra quam fit in aliis. Id ad me perscripsit *Guido* „*Patinus*, — Decanus tum saluberrimae facultatis

---

[1]) Hist. anat. rar. Cent. II. hist. XXIX. Tom. I. p. 219.

„Med. Parisiensis. Similem situm viscerum obser„vatum Romae 1643, *Petrus Servius* Medicus do„ctissimus amplissimam mihi fidem fecit. — *Schen„kius* I. 2. Obs. 188. Platerum similia refert ob„servasse." —

Mentelius [1]) in homicida supplicio affecto, hepar in latere abdominis sinistro, lien in dextro invenit; nec non cor in dextro latere vidit.

Morand [2]) cadaver militis septuaginta annorum cultello subjecit, in quo omnia et thoracis et abdominis viscera situm inversum ostenderunt. Cordis mucro in dextrum latus tetendit, pulmonis positus a normali plane abhorruit, vena azygos in columnae vertebralis latere sinistro adscendit, aorta contra dextro latere decurrit, hepar hypochondrium tenuit sinistrum, ventriculus in regione hypochondriaca dextra collocatus fuit.

Etiam renes contra, quam fit in aliis, positi in conspectum venerunt.

Sampson [3]) viscera similiter collocata vidit, in cadavere viri triginta annorum, in quo splen in latere dextro, hepar autem in sinistro fuerunt; aorta in facie dextra vertebrarum iter deorsum fecit, vena

---

[1]) *Pecquet* experim. nova anatomica. Paris. 1654. p. 179.

[2]) Histoire de l'acad. roy. des Scienc. 1688. p. 44.

[3]) Philosoph. Transact. Nr. CVII. Tom. IX. p 746.

cava in illarum superficie sinistra per hepar sursum migravit. Oesophagus eum petiit locum, quem ventriculus tenuit, atque cardiae hujus sese inseruit; inflexio prima intestini duodeni ac curvatura sigmoïdea recti perinde in latere dextro occurrerunt. Vir praeterea, cujus viscera relatum situm ostenderunt, nec unquam morbo laborasse dicitur.

Sue [1]) in cadavere infantis quinque dies nati situm viscerum thoracis et abdominis inversum detexit. —

Mohrenheim [2]) senis cadavere dissecto, cor in dextra thoracis cavitate vidit, simulque hepar ac splen inter se locum permutaverunt. —

Baillie [3]) viri quadraginta annorum cadaver secuit, in quo mirum in modum organa, quae includit thorax, posita se obtulerunt. Hypochondrium sinistrum hepar, dextrum lien occupavit; ventriculus ac pancreas magis versus dextrum latus jacuerunt; intestinum coecum musculus psoas sinister tulit; colon inde ad latus dextrum descendit, atque ibi in rectum abiit. Simili modo vasa sanguifera viam normae incongruentem petiere.

---

[1]) Auserlesene Abhandlungen der Akademie der Wissenschaften zu Paris, übersetzt von Beer. Leipzig 1754. Bd. II. S. 315.

[2]) Wienersche Beiträge. Bd. II. S. 305.

[3]) Lond. med. Journ. 1789. Vol. X. Part. II. n. 6.

Plures observationes similes in his inveniuntur scriptis.

1. *Johannes Mery* apud du *Hamel* histor. Acad. Reg. scient. L. III. c. 2.
2. *Fridericus Hoffmannus* celebrioris *Friederici* pater, in Kardianastrophes admiranda historia.
3. Eph. Nat. Cur. Dec. I. ann. II. observat. 76.
4. *Daubenton* description du cabinet du Roi. T. III. pag. 204.
5. *Aubertin* Journ. de méd. 1776.
6. *Cattieri.* o. m. XVII.
7. *Gauteron*, Mém. de *Montpellier*. T. I. Hist. p. 110. a. VIII.
8. *Larrey*, Mém. de chirurgie milit. Paris 1812, und Göttinger Anz. 1812. p. 969. 970.
9. *Halleri*, Elementa Physiol. Tom. VI. p. 118. 391. 460. — — Opusc. patholog. obs. XXIX.
10. *Holt*, in Philos. Transact. T. XXII. N. CCLXXV. pag. 992.
11. *Bichat*, über Leben und Tod. S. 24.
12. *Stoll*, Heilungsmethode. Bd. I. S. 274.
13. *Sandifort*, Observat. anat. pathol. L. I. Cap. II. pag. 39. Lib. IV. cap. VI. p. 54 et 60. Not. 0.
14. *Hufeland's* Journal, Bd. 22. S. 110. ff.

Jam vero, promisso quantum potui satisfacto, peto a te, Lector benevole, ut has studiorum meorum primitias indulgenter accipias. Sed antequam huic opusculo finem imponam, dicendum est, Viro Illustrissimo maxime venerando *Rudolphi* placuisse, cadaveri monstrifico locum concedere in sede praeparatorum anatomicorum universitatis Berolinensis, et hoc modo cuilibet occasionem esse datam, monstri illius videndi.

CURRICULUM VITAE,

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS

ADJECTUM.

Ego Fridericus Guilelmus Wette, confessioni addictus catholicae, Tremoniae d. IX. m. Julii a. MDCCCIII patre dilectissimo et matre optima e gente Schuermann natus sum. Primis literarum elementis instructus, per septem annos archigymnasium frequentavi Tremoniense, ibique literis, quae studiis academicis viam parant, vacavi. Die XV. m. Aprilis a. MDCCCXXIII alumnorum instituti medico-chirurgici Friederici Guilelmi numero adscriptus per septem semestria hisce interfui praelectionibus:

Cel. Wolf de philosophicis; Illustr. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia universali, de anatomia organorum sensuum, de physiologia et entozoologia, de arte cadavera rite dissecandi; Illustr. Hermbstaedt de pharmacia; Illustr. Lichtenstein de zoologia; Cel. Turte de physica, chemia et pharmacia; Illustr. Link de botanice, historia naturali ac pharmacologia; Illustr. Fridr. Hu-

FELAND de pathologia generali, de semiotice et therapia tam generali quam speciali; Illustr. KNAPE de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, anthropologia forensi et de arte formulas rite concinnandi; Illustr. HORN de pathologia speciali; Illustr. OSANN de fontibus salutaribus Europae; Cel. CASPER de arte formulas rite concinnandi; Perillustr. HUFELAND de therapia speciali morborum chronicorum; Illustr. RUST, DE GRAEFE et KLUGE de chirurgia tam generali quam speciali et de operationum chirurgicarum cursu, exercitationibus cadaveri institutis illustrato; Illustr. KLUGE de obstetricia tam theoretica quam practica, de ossibus luxatis et fractis et de arte fascias applicandi.

Clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum duce Illustr. DE GRAEFE, clinicum chirurgico-ophthalmiatricum duce Illustr. RUST, policlinicum duce Perillustr. HUFELAND et Illustr. OSANN, clinicum medicum duce Illustr. NEUMANN frequentavi.

His studiis peractis in nosocomio Caritatis Berolinensi per annum medici inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur. Quibus factis, ut medici militaris officiis, quae mihi sunt tradita, satisfaciam, Confluentiam proficiscar. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Idea fixa nunquam deleri potest.

II.

Furor transitorius inter morbos mentis non est habendus.

III.

Morbus mere dynamicus non existit.

IV.

Luem larvatam occurrere contendo.

V.

Febris intermittens larvata contradictio est.